

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C.DEL VECCHIO.



ive Anatoliae,
lrium perdurat
actum est, ita
n rex, consti-
cendere atque
ta profecto re-
traeci victores
uo eorum elat-
i, ex adverso,
terint, nemini
t Asiaticorum
m fidem con-
et Gallia, qui-
intercessum
t; quamquam

abita sunt ad
gum ferenda-
n, ab Anglis
brevi sequu-
inc plures au-
de pace ali-
n et eum qui
quenda. Quod

POPLOCOLA.

M

perdurantibus,
ciculi Augusti
m colligentur,
prohibit.

A. R.

Sponsor.

VATIGANIS.

NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae: In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arcidosso - Arezzo - Ascoli Piceno - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Bastia Umbra - Benevagienna - Bergamo - Bibbiena - Bisceglie - Bologna - Bolzano - Borgo a Mozzano - Bra - Brescia - Cagliari - Caltagirone - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carloforte - Carrù - Casalbuttano - Castellamonte - Castelnuovo di Garfagnana - Castiglion Fiorentino - Catania - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Colle Val d'Elsa - Como - Cornigliano Ligure - Cortona - Cotrone - Crema - Cremona - Cuorgnè - Dogliani - Fabriano - Fermo - Fiesole - Figline Val d'Arno - Firenze - Foggia - Foiano della Chiana - Foligno - Forte dei Marmi - Fossano - Frascati - Frosinone - Gallicano - Gallipoli - Genova - Giugliano Camp. - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Lanciano - Lecce - Legnano - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciana Marina - Merano - Meratale - Messina - Milano - Modica - Mondovì - Monteleone Calabro - Montesampietraneli - Monte S. Savino - Monte Urano - Montevarchi - Napoli - Nardò - Nocera Inferiore - Norcia - Novi Ligure - Oneglia - Orbetello - Orvieto - Orzinuovi - Pagani - Palermo - Pallanza - Parenzo - Piadena - Pietra - Pinerolo - Piombino - Poggibonsi - Pontecagnano - Pontedera - Popoli - Portoferraio - Porto Santa - Rovigno - Salerno - S. Benedetto del Tronto - S. Maria degli Angeli - Sansevero - Saronno - Roma - Savona - Segni (Scalo) - Siena - Siracusa - Squinzano - Tagliacozzo - Terranova Sicula - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre dei Passeri - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo - Volterra.

Apud Italicas colonias: Bengasi - Tripoli.

Apud exterbas gentes: Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borjas Blancas, S. Coloma de Queralt, Wals in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tantah, Beni Mazar, Beni Soueff, Bibeh, Dessouk, Fashu, Fayoum, Kafr El Cheikh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli in Syria - Gerusalemme, Caifa, Giaffa in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne, Scalanova, Sokia in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

 Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt. 

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quo^d sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina col-
loquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine
percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,10.

JOSEPHI FORNARI **Fridianus** et **Francisculi prandum**, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,50; ambae lib. 2,60.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores.** - Si tegumento solut. lib. 3; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 4.


I. B. FRANCESIA **Saturio, Euplius, Ad Romam,** Actiones dramatiæ. - Singulæ lib. 1,50.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI **Arrhae Gorgoniae,** Milesia fabula. - Lib. 1,50.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Graecia drachm. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, Via del Governo Vecchio, 96.*



BENEDICTO XV P. M.

SEPTIMUM EMENO PONTIFICATUS ANNUM

D. III M. SEPTEMBRIS MCMXXI

*Qui tumescentes regis inter undas
mysticam Petri, Benedicte, Navim,
voce tu nuper resona per orbem:*

« Este - monebas -

*este vestrarum, populi ducesque,
anxii rerum; vigilate, ne vos
laedat incautos Solymae per oras
orta procella ». ¹*

*Turbinem movit vafra gens Hebraea,
nacta quae gazas regimenque mundi,
nunc et invadit Loca Sancta, dotem
Christicolarum.*

*Flagrat, haec spectans, Godefridus ira;
Cor Leoninum fremit in Richardo;
vindicem vibrans Ludovicusensem,
clamat ad arma.*

*Iura Franciscus sibi rapta luget;
haecque, contestans homines Deumque,*

*cum suo totus repetit Parente
chordiger Ordo.*

*Omnium vox est: « Procul arceatur
a Palaestina Caiphae propago;
Turcica peior dominatione
esset Hebraea. »*

*Tuque ne speres, Synagoga, priscam
posse te molem relevare Templi;
ex humo rursus resiliret ultrix
undique flamma.*

*Sique terrestri Solyma potiri
atque caelesti cupias, ... adora
quem tui vates cecinere nostrum
Emmanuelem.*

*Alma Messiae genitrix, Maria,
o fac agnoscat, fac amet superstes
Israël Christum, lacrimisque tergat
crimen avorum!*

¹ Allocutio Consistorialis diei xiii Iun. 1921.

FRANC X. REUSS.

PRO RUSSIA

Nondum cessaverat echo sollicitae Benedicti PP. XV vocis pro Palaestina clamantis, quum a Patre liberorum quorumvis amantissimo universi orbis misericordia, fides, religio iterum imploratur. Russorum populus, eversarum rerum horrendis convulsionibus agitatus, in praecips pessime ruit: immensus incolarum numerus inopia omnium rerum consumptus, morbis omnis generis cruciatus et messus, inter terras aridas factas miserrime fluctuat, frequentiora loca petens, spe nisus fore ut cibum aliquem ad famem leniendam inventiat, sed heu! armorum vi repulsus. Quis hisce cognitis a lacrimis temperaverit?...

Benedictus XV, Petri solium ascendens, quum hominum genus in fata incitaretur, unde fieret quod tristissimum historia enarrabit, Christi caritate unice compulsum id sibi proposuit, ut calamitas nulla a sese abasset, imo singulas sequeretur, ita in eas intendens, ut malo cuique remedium ex parte sua afferretur, moerentique cuique participantis animi sui solatum. Itaque eum audivimus inducias in bello quaerere, captivorumque libertatem, aut saltem infelicitis illorum fortunae levamen; mittentem eum vidimus hoc illuc legatos suos, opem et subsidia suo nomine afferentes; operam interponentem suam contra insolentum victimarum sacrificium in deportationibus, aereis incursionibus, subaqueis insidiis; obsides librantem, atque damnatos poena eximentem; sepulcra ipsa militum procul a patria caesorum pie curantem; obolum pro aegrotantibus pueris efflagitatem; gentium deprecantem cladem; pacem inter nationes discordiarumque civilium finem suadentem; et in mediis hisce eximiae caritatis formis sedulo in hominum animos semina-

amploresque iustitiae atque amoris sensus serentem, quae nova saecula christiana pacis essent instauratura. Haec autem indefessa boni industria omnes deprehendit, nulla aut civilis rei, aut generis, aut religionis ratione habita; deprehendit bellantes ubique, et Christianos et Ethnicos, ad Armenios usque et Turcas, et Sinenses fame atque frigore in Siberia morientes.

Hodie vero Russorum populus est, qui ad aerumnas formidabilis maxime rerum conversionis additas, experitur famis morborumque ingruentium horrores. Pontifex nunc etiam minime cunctatur aut haeret, vixque clamor auxilia postulans illinc efficitur, extemplo celerem et industrium sese esse ostendit atque velle ut ad argumenta, quibus bona voluntatis animi commoveantur, cordis sui motus suaque vox adiiciatur: quae quum Christifidelibus tamquam Christi verbum insonabit, iis qui extra gremium Ecclesiae vivunt vox erit augustae religionis principis, cui semper peculiare in historia fuit pietatis virtutisque munus, humanitati pretiosissimum. Vox itaque Benedicti PP. XV tum plurimam ad persuadendum vim habebit, tum magnam crudeliter laniatae gentis partem ab extrema ruina servabit.

Hanc autem gentem, quum a praesenti miseriae statu surrexerit, Benedicti PP. XV opus meminisse iuvabit, et id exquisitissime perfectum. Nullam enim in Pontifica invocatione notam reperias, quae tanti exitii causas vel cursim attingat, proximae nempe vel remotae tyrrnidis: Pater benevolentissimus nihil criminis aut vitio cuivis adscripsit: id unum recordari voluit, Russorum populum, vel ab Ipso disiunctum septis iam plura abhinc saecula erectis, fortiter tamen magnae Christianorum familiae participem esse nunquam non voluisse. Opportunissima quidem haec memoria, eaque profecto maxime digna, quae ex ore Catholicae Ecclesiae Parente manaret...

Ad Christianos et ingenuos populos nunc pertinet, ut Benedicti PP. XV novae huic humanitatis appellationi auscultent, eique officiis ac precibus certatim pro meritis respondeant.

ROMANUS.

Iaponensium principes Romae

Abhinc paucos dies regali magnificentia et magna comitante caterva, principem Iaponensium imperatoris filium, regni heredem, Romae vidimus. Hic optima illius remotissimi imperii spes, florente adhuc aetate, sapientiae studio, Europa peragrata, in Urbem tandem pervenit, nec supremum Christiani Nominis magistrum venerari praetermisit. Ipse, postquam animum disciplinis, corpus militiae laboribus exercuit, atque sub patris imperio multa domi fortiter et strenue gessit, nunc Romam invictus, eam novis atque amplissimis operibus auctam invisendam curavit.

Sed insigne utique decus nomini suo addidit ob reverentiam obsequiumque in Benedictum XV P. M., unde auspicari licet ut in augusta sede diu placideque christiano populo intersit.

Ei Vaticanas aedes introeundi obviam effusi viri aulici festoque cultu exornati, plaudunt omniaque fausta precantur. Deinde eum ex more summis honoribus recipiunt atque obsequio, et in Pontificiam domum conducunt.

Gravis ipse incedit et omnia studiose admiratus conquirit, et praesentes divitias cum multis orbis terrarum urbibus mente componens, vultu admirationem verbisque cum proximis alte portendit, et sic omnia primo adspectu obstupescit.

Quam vere, Roma, urbs es Terrarum dea gentiumque, cui par est nihil et nihil secundum!

Panduntur interea Pontifica cubicula, et

Benedictus XV P. M. regali adspectu dulci- que alloquo magnificentius eum accipit. ...

Non prima haec vero Iaponiorum principum ad Pontificem visitatio.

Labente enim anno quingentesimo se- cundo et octogesimo supra millesimum, quum ad rerum gubernacula sederet Gregorius XIII, gens Iaponensis, Divina veluti virgula excitata, adnitentibus potissimum Societatis Iesu sodalibus, Christi sapientiam amplexata, subito in omnium populorum, regis ad exemplum, pietatis argumentum, maxime eluxit. Quo facto, gratum animum suum promere voluit erga Pontificem Maximum, qui Petri Apostoli vestigia secutus, rei christiana in Europae regionibus laboranti, volens propitius suis adfuit, et caelesti numine pro potestate rem auxit atque firmavit. Sic, volente Deo, turbulentissimis rei christiana temporibus, insignem de hostibus triumphum retulit.

Itaque, ut ita dicam, uno avulso in Ecclesia palmite, alter non deficit, et facere semper Deus consuevit ut manus altera vulnus, altera opem ferat. Propterea, adclamantibus ordinibus universis, Iaponenses, primo adhuc religionis studio ferventes, devotis sanctitati maiestatique Pontificis Maximi urbem triumphantes invecti sunt, qui, iuventa florescentes, at in magnum P. M. obsequium proni, libentes insignia munera, quibus suorum pietas declarabatur, contulerunt.

Verum in ipsis felicis adventus solem- bus, Deo defixus, Gregorius XIII mortalem vitam cum immortali placide commu- tavit; qui quum per omnes temporum vices transisset, et semper humana ut mortalitia aestimans sola divina ut immortalia, et quum nihil antiquius haberet quam ut religionis vindex diceretur, Iaponenses benigno hospitio eodemque paterno rece- pit, illud Simeonis sibi gaudens et religioni gratulaturus: *Nunc dimittis servum tuum, domine!*

Postquam, ingemiscentibus omnibus, ad sedes caelestium placido exitu emigravit, illico, sic Deo auctore, praeter omnium opinionem Pontifex Maximus renuntiatus est Xyxtus V, qui, incredibili christiani Nominis laetitia, Pontificatum suscepit, et trigeminio diademate est in Urbe redimitus. Qui graves saeculi difficultates fortiter eluctans, vir integrae naturae, nulla in re nimius esse quam videri maluit.

Hospites nostri hunc casum lamentabilem adspicientes, haec fortasse secum mente volutabant:

Mire est equidem christianae religionis fortuna, quae per tot secula, per certamina transit, et ventis undique flantibus, nec labefactari poterit, nec loco dimoveri. Admiranda quoque adsidua Maximorum Pontificum series! Alter enim illustri loco natus et longo virorum clarissinorum ordine conspicuus, dies sacri pontificatus benefactis computat, in genus humanum collatis; alter vero humili loco ad splendissimum omnium solium evectus, nobilitate ingenii et virtutibus clarissimus omnibus iam regibus imperitare coepit.

Ad caelestia unice spectans, ipso die quo unusquisque Pontifex invictum a cupiditatibus se alienum exhibet, et tempora tergemino diademate redimitur, adstantes principes Iaponenses de rerum humana-rum vanitate monitos voluit; namque stuppa ex more collucescit, adclamantibus, cantoribus: *Sic transit gloria mundi!*

Roma per tres menses et amplius, inter tot admiranda sibi spectacula rerum, principibus Iaponensibus magnificentiam. et devotionem in exemplum retulit; « magnanimosque duces totiusque ordine gentis », adspexit, qui studiose moenia urbis veteris requirunt, regiasque villas in amo niorem formam reductas, quas amplissimi viridariis auctas, monumentis signisque marmoreis Romani principes novo cultu decoraverant.

Ad haec memoriae proditum est, Pontifici Maximo in aede Petriana solemniter sacram facienti, religioso vultu adstitisse, et ultiro aquam Pontifici obtulisse, qua rite ablueretur. Ex aedibus Vaticanis, Xystus, Romanorum Pontificum more equo vehitur ad S. Ioannem, multisque equitibus circumdatus: adparent ad templum antipodes et Xyxtum comitantur eentes. Sic enim Christiani modestiam sublimi principum dignitate cumularunt.

Omnia in admirationem conferebant. Ipsi enim et illa fortuita aderant omnia; gratia, vultus, vocis iucunditas, morum suavitas, memoria rerum italicarum et verborum plane singularis, ut de se non iam spem, sed fiduciam darent, et omnis Roma gensque togata eos fortunandis olim hominibus natos esse praedicaret. Adeo vero mores nostros prosequi coeperunt populique ornamentum, ut die quodam solemani, amplissimis suis itemque ditissimis vestibus ablegatis, e more nostra induiti Romanis improviso adparuerint.

Incredibile dictu est, quantum his populus principibus gratulatus sit, et quo desiderio ut diu multumque sibi interessent etiam atque etiam rogavit.

Haec omnia facile ab una religione manare videbantur, Namque ipsi ex terrarum extremo fine ad Urbem advecti, proni in obsequium erga summum parentem et magistrum catholici Nominis, aperi tissime testantur, mortales ingenio, linguis, disciplinis, moribusque dissonos, nisi divino numine non posse in unum consensem coalescere.

Eos Roma discedentes cum lacrimis et gemitu quemadmodum fratres sunt cives prosecuti.

Quod nobis quoque accidat et nostra aetate: ut novi hospites Italiae et religioni sint decus et praesidium, etiam atque etiam auspicio et precor.

SENIOR.

DE DANTIS ALIGHIERII "COMOEDIA,"

De Dantis Alighierii vita eiusque operibus plura per hunc annum sexagesimum ab eius obitu scripsimus: placet hodie rei quasi fastigium imponere litteris, quas de maximo auctoris poëmate, sive visu, ad Josephum Fornari, Moderatorem nostrum, abhinc annos aliquot mittebat Henricus Salvadori, vir multarum litterarum et summi Italorum poëtae studiosissimus, quem in scholis et academiis assidue illustrat.

Clarissimus itaque vatis interpres scribebat:

Alighierii carminibus - ecquis ignorat? - redemptio, expiatio, emancipatio a peccati servitute totidem veluti metae praeludent, cuius rei celeberrima auctoris epistola, Scaligero dynastae conscripta testis est: « Finis totius operis et cuiusvis partis est removere homines in hac vita de statu miseriae, et perducere illos ad statum felicitatis ». Eadem saepe saepius versibus iterantur:

*Lascio lo fele e vo pei dolci pomi
Promessi a me per lo verace duca;*¹

*Libertà vo cercando ... ;*²

... per tornar altra volta

*Là dove io son, fo io questo viaggio;*³

quae quidem perfecti gaudii summa, qua potiri sese vates altissimus contendit, a proposita christiana doctrinae perfectione minime aberrat; integrum enim totius *Comoediae* consilium piam religiosamque eius indolem profert, nullisque aliis modis ad finem assequendum pergit, nisi quibus ipsa Ecclesiae doctrina peccatoribus suadet, utque gratiam recuperent constanter praecipit.

¹ Inf., XVI, 61.

² Purg., I, 71.

³ Purg., II, 37.

Quae autem alia Bonifacio PP. VIII, sacrum iubilaei annum MCCC indicenti fuit mens, nisi ut homines ad universum poenitentiae comitium undique compellarentur? Quodsi mundi pernicies atque infortunia hominum nequitia pariuntur, poenitente eos atque ad meliora, Dei gratia iuvante, reduci, nonne morale totius orbis conversionem significet?

Hunc, ferme, nec alium omnino, Bonifaci intentum scimus, eumdemque pariter tot peregrinantium animum, qui vices centena millia numero, immanis multitudo, ad Urbis limina convenere; idem Dantis consilium, purae firmacque fidei viri, quippe qui sacramentorum indulgentiarumve virtutem arte animo retineret.

Quamquam enim diu ante annum MCCC vatis animae arridere potuit publica morum emendatio Evangelii virtutibus procurata, eam tamen anno illo iubilari Romana Ecclesia re peragi posse ostendebat, ipsique vati ceterisque optimae voluntatis viris propitiam maxime occasionem, ut eam perficerent, ultro dabat.

Et sane divinum visum anno illo « sancto » sese vidisse ipse vates affirmat; num id factum est quod eo anno eius infortunia, adepta apud cives suos summi magistratus dignitate, coepere? Inanis satis minimique ponderis caussa, nec ea prorsus, quae abditum poëmatis consilium enodet, quo plane scimus vatem, etsi haud omnino arcere atque quodammodo obruere debeamus, longe tamen superatum fuisse a maxima illa universae humanitatis persona, quam sponte induit. Quapropter nil reliquum est, nisi ut iubilarem annum veluti proximam propriamque sacri poëmatis caussam teneamus.

Nec nostra interest an vates iubilarem peregrinationem ipse inierit, licet eruditio nis ostendenda gratia multi docte hac de re disputaverint; quidquid enim quisque sentit, certum est Dantem non effusisse quantum moralis utilitatis pondus

ex Urbano illo maximo conventu esset futurum. Quod quidem non ex versibus arguimus satis vulgatis:

*Come i Roman per l'esercito molto
L'anno del Giubbileo su per lo ponte
Hanno a passar la gente modo tolto,¹*

quibus exterior veluti rei forma redditur, at ex iis potius, quae Casella narrat de angelo electorum animos e Tiberinis ostiis ad Purgatorii litora advehente; qui plane, quum arbiter constitutus fuerit aptissimos ex iis ad expiationem seligendi, tunc contra

*Veramente da tre mesi egli ha tolto
Chi ha voluto entrar con tutta pace;²*

ita ut aperta magis iubilaris indulgentiae declaratio frustra desideretur.

Quae quidem vatis mens ex illis pariter sacra significatione plenis versibus scatet:

*... a bene sperar m'era cagione
Di quella fera alla gaietta pelle,
L'ora del tempo e la dolce stagione;³*

quorum sensus poenitentiae et gratiae acceptissimum illud tempus plane indicat.

Et profecto «anni sancti» Paschale tempus sanctissimum dicendum est, quod ad amussim ut redemptionis iter aggredetur vates elegit. Quotannis enim Paschatis diebus, idque Anno Iubilari quam maxime, ad Ecclesiae sacramenta Christifideles accedunt, exomologesis atque synaxis sacris mysteriis reficiuntur, divinae amicitiae superna gratia adiuti pie redeunt, virtutis habitum, quem culpa amiserant, feliciter recuperant.

Haec utique poëta vel ipse in itinere praestat: coram angelo, qui ad Purgatorii ostium districto gladio excubat, peccata sua confitetur; Matheldae manibus, quae in lustralem Eunoë fluminis undam illum

demergit, sacram veluti synaxim accipit, disceditque inde purus atque caelum descendere paratus. Descensus ille, quo Avernum vates iustrat, dum delicta agnoscendi optimum tempus praebet, sacrae exomologesi praeparatio congruens maxime appetit. Deinde autem expiatorii montis ascensus, atque ingressus in Petri ianuam, operum sensuumque pietatis, poenitentiae atque desiderii, quibus animae illic detentae foventur, participatio, ipsius sacramenti facilis virtus est, quod, delecta culpa eiusque perpetua poena, scelerum tamen vel bonis operibus, vel indulgentiarum lucro, vel purgatorii igne exigit piaculum. Peccati tandem vestigiis ex animo penitus abrasis, atque in integrum humanae naturae innocentiam poëta restituto, Beaticis, id est Redemptoris Dei scientiae, opera, novum gratiae virtutum aedificium exstruitur. Tunc hominum omne genus, prouti vatis persona geritur, a caelo in caelum, vel a perfectione in perfectionem ascendit, quoisque supremam salutem, beatificam Dei visionem praelibans, attingat.

Atqui, num Pontifex poenitentiae edictum evulgans dissitum quidquam ab huiusmodi meta sibi proposuisse videtur? Immone nonne eadem opera non sunt, quibus Iubilaris Anni finem assequimur? Nonne igitur iure dicendum est rationem, qua Dantes indulgentiam solemnem assequi contendit, *Comoediā* fuisse?

**

At poëma, si quis forte animadvertis, spirituale religiosumque opus non omnino est; civilis enim prudentia ipsi condendo praeluxit, neque mundi commoda atque utilitatis, ut caelestia tantum spectaret, poëta praetermisit. Obiecta vero haec, etsi plana nobis renovatae, quam dixerunt, humanitatis filii appareant, qui caelestia et mundana secum pugnantia effingere nobis assuevimus, absona prorsus poëtae

viderentur, cui nil antiquius cariusve esse poterat, quam felicitatis forma, terrestria et divina complectens omnibus ex partibus, una pariter consona atque integra. *Comoedia* enim civile opus eo ipso est, quod sanctum pariter ac religiosum fuerit, nihilque mirum, hominum immutationem ita vatet futuram sperasse, ut et civilis simul et moralis evaderet. Neque enim felicitatis perfectae formae duae esse possunt, quae inter se pugnant; contra vero, dum pariter optimae sunt, rationes ipsas, quibus eos assequamur, vel easdem esse oportet, vel saltem mutuo concordes atque ordinate subiectas.

Ex qua quidem mentis consiliique unitate ab Aligherio adhibita, ut de religiosis et de reipublicae negotiis sententiam ferret, satis evincitur quomodo Summi Pontificatus reverentia ab acerrima censoris severitate in nonnullos Pontifices adhibenda illum non retinuerit, ita ut Bonifacium ipsum damnans, contumelias Anagniae ipsi illatas fuerit exsecratus, et Iubilaris Anni, ab eodem Pontifice decreti, se participem fieri voluerit.

Quare dilapsis omnino, quae leviter exsurgunt, obiectis, ad unam eamdemque semper conclusionem pergit, finem Aligheriani operis haud absonum fuisse a causa quam sibi proposuerit Bonifacius, quum Iubilarem Annum MCCC primus edixerit. Ex quibus, licet brevissime consideratis, unum denique praestat, ingenuas artes tunc tantum, quum fidei auxilio confirmantur eiusque spiritu accendantur, immortalem operis vim contingere, indeque esse, ut iure merito ad Aligherii poëma iterum hodie omnes configiant, quo ex eius carminibus verba suavissima hauriant *Fidei illius*, quae omnem vincit errorem.

In verbis amanda sunt vera, non verba.

AUGUSTINUS, *De Doct. Chr.*, IV.

¹ Inf., XVIII, 28.

² Purg., II, 99.

³ Inf., I, 41.

DANTI ALIGHERIO

SEXTO SAECULO EXEUNTE AB EIUS OBITU

Iam sena, Vatum Maxime, saecula clauduntur, ex quo te patria procul longoque confectum dolore transtulit in superos Beatrix.

*Sed sacra vivunt carmina: sed calet commissa divo flamma poëmati,
quo nil adhuc maius per orbem terrigenae dederunt dabuntque.*

*Quam multa fluxus temporis abstulit,
Dantes, quae amabas! Occidit, occidit
cui nomen et ius asserebas
imperii populos in omnes,*

*Romana moles: gens sibi quaelibet
obnoxia uni servit et imperat
et divites patresque plebi
lex eadem socialis aequat.*

*Non alta turres culmina muniunt,
clausis nec arces moenibus imminent:
distentae in immensum officinae
vix spatium domibus relinquunt.*

*Late tonanti concita pulvere
multum sagittis ocior it pila,
datura quam nunquam dedisses
millibus arietibus ruinam.*

*Non iam triremes aequora navigant:
vapore nostrae per freta devolant,
seu fluctus immotus residit,
seu tumet implacidus, carinae.*

*Expressa per vim rebus ab intimis
vis lumen affert, abripit esseda
et verba transducit per auras
oppositis referenda terris.*

Vix ullus usus quadrupedantium:
vectamur actis igne sedibus,
et nuper alarum potentes
aetheris impulimus profundum.

Sed multa, Vates, multa nefaria
quae tu dolebas, integra permanent:
sed latius serpere multa
carmine quae mala es insecurus.

Christo insolenter denegat obsequi
potita rerum stirps Capaneia: ¹
impune Christo per plateas
Fuccius ² obloquitur protervus.

Ille ipse versus, quo tibi adulteri
saevis peresi sunt cruciatibus, ³
is nunc, is incestum puellas
turpe docet puerosque amorem.

En graeculorum faex petulantium
ut cuncta miscet seditionibus,
et scurra Marcellum referre
dum vomitet furiosa, censem! ⁴

Ah, cur moraris rursus ad Italos
Dantes, reverti? cur pateris tuam
hanc patriam foedis avitas
opprobriis temerare laudes?

O acer aequi tutor et omnium
vindex malarum sancte cupidinum,
Te redditio luci, pavore
quam cita diffugeret pudendo
haec helluonum garrula factio!
ceu cum supernum perfida nuncium
expavit et Dite a recluso ⁵
turba tibi dedit atra tergum.

A. M. CASOLI, S. J.

¹ Infer., XIV, 46-66

² Infer., XXIV, 122-126; XXV, 1, 2.

³ Infer., V.

⁴ Purgat., VI, 125-126.

⁵ Infer., IX, 64-105.

REGIO MAGELLANICA

Non dubito fore plerosque, ut Cornelius scriberet, qui aestiment me rem actam agere quum legent, de longissima regione, quae a recentibus exploratoribus, post Magellani exemplum, *a foco* appellatur, scribere statuisse. Hactenus quamquam inter nos huius regionis nupera notitia admidum est, et densissimis veluti tenebris tecta, atque incertissima fama ad nos pervenerit, in praesentiarum res longe alia est. Missionarii enim nostri, qui in sacris expeditionibus versantur populis ad pietatem excolendis, multam lucis veritatem admoverunt.

Sed primum paucula atque incerta de illa remotissima regione et de eius incolis timidius fama enarrare consuevit, et freatum ab immortali Magellano dictum, plurumque scopolis periculoso, pro viribus nautae evitare studebant, atque ad patriam adpulsi, mirum in modum mare transitu difficilis reddebat. Habitatores autem, dicere solebant, ut veteres pascentem Siculas Polyphemon oves et homines fabulabantur, advenas occidere, eorumque carnis iucundissime vesci consuevisse. At quam fama eos turpiter dedecoravit! Haud immites enim sunt, neque in hospites ferocissime feruntur, sed mitis imprimis apparent moribusque simplices, et licet in telure omnium ditissima, parvi contenti, miserrime admodum vivunt. At opera potissimum Missionarii ad meliorem cultum adsurgunt, ad virtutem facile excoluntur, et mirum in modum obsequium ac benevolentiam erga benefactores ostendunt.

Erat annus octingentissimus et octogesimus tertius supra millesimum, quum Iosephus Fagnanus, sacerdos, humili loco in Astensisibus natus, e Salesianorum familia sacerdos, audax animo atque impiger, patris legiferi consilium secutus, pri-

mum apud litus, quod *Punta arenas* appellatur, adpulit, ibique fidissimam stationem posuit. Illico eius incolas, qui advenarum terrore percussi, interius sese conferunt, cura ac diligentia inquirit eosque suavissime ad humanitatem excolit. Et Feughini illi, mitis ingenio moribusque candidi, suorum calumniatores mendacii insigniter arguunt. Namque brevi admodum tempore, assidua Missionariorum pietate ad meliorem frugem conversi, ad virtutem mirum in modum atque ad cultum effinguntur. Piscibus vescebantur et ovibus at sine modo et loco; nunc vero in unam sedem adducti, ad artes quoque rudiores animis incumbunt. Nunc Vergilius dicaret, si de ipsis mentionem faceret:

*Ipsi considunt modestis sedibus, ipsi
Abdita more suo se se cunabula condunt.*

Haud ita multo post, in templo, inter quoque Missarum solemnia, identidem pro viribus hymnos sacros canere edocentur, et pueruli, mira sane nostrorum patientia atque industria, se musicae feliciter dedunt. Et quum olim ad ipsos navis Italica appulisset, alacriores nihil carius habuerunt, quam eius navarchum musice accipere, quemadmodum Itali regem salutare consuescant. Ac propterea, quum illa insula meliusculum se se habeat, et melius in dies res provehantur, et multa iam egregie noverint Missionarii ac scripserint, consilium fuit, in omnium commodum atque studium nonnulla simul colligere et Salesianorum amicis atque cooperatoribus universum earum rerum collectum per ordinem exponere et dicare.

Haec ego breviter explanare studebo, eoque potissimum contendere nitar, ut eadem cum lectoribus *Almae Romae* data opera communicem.

Placet?

Vobis propediem me productivum expectate.

I. B. FRANCESIA.

COMMUNIA VITAE

De officiis ¹

- Mea sententia a Caii sententia in re magni momenti discrepat, quum tamen inter nos amor sit mutuus. - Mea sententia cum Caii non congruit; animi tamen nostri in amore consentiunt. - Nobis non est idem sensus, non idem iudicium, quum tamen eadem sit voluntas et eadem benevolentia. - Opinionum inter nos est dissimilitudo, non animorum. - Opinione non voluntate dissentimus. - Diversa sentimus, quamvis eadem velimus. - Animorum est inter nos consensus, opinionum dissensio. - Opinionum non voluntatum dissensione in hac re discrepanus: qui eximia iudicii vi polles (praestas; vales; flores), videoas quid ratio postulet (praescribat) ac probet. - Qui praestanti iudicio es (mentis sagacitate singulari in rebus discernendis excellis) perpendas uter nostrum cum ratione animum componat. - Qui rectum animi sensum in agendo sequeris, (qui rationes tuas ad rectae rationis normam diriges), quaestionem de bono et aequo excutes (enuclees; explices). - Quia tua facta ratio dirigit ac moderatur, aequa iudicii lance (momento suo) rem ponderes eamque apte inter nos componas.

- Suis iuribus ab utroque commemoratis (allatis) controversiam, uti convenit, (decet; par est; congruenter aequo) transigam (paciscar).

Id vobis toto capite concedam (dabo; annuam). - In tua postulata non quidem adversante ac repugnante animo descendam.

Quaestionis difficultates animo penetram (mente pervadam; in singula quaestionis membra subtilissime inquiram) ac

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Iunii.

deinde mea consilia tibi referam. - Nihil intactum in hac difficultate praeteribo (penitiores discrepantiae recessus perscrutabor; rimabor) ut et voluntatum mutuus consensus (concordia et conspiratio) inter vos restituatur.

- Haud dubium quin id possis, quum tam bona voluntas accedat (adsit). - Quum bonam tuam voluntatem induxeris (adhibueris; contuleris), exitum proculdubio res habebit exoptatum (felicem).

Utinam ad optatos exitus tua consilla perducantur (deducantur)! Sic, felici exitu res terminetur! - O susceptum tanta benignitate consilium (opus) ad optatum finem promoveatur!

Ego profecto tua consilia nunquam dissolvam (evertam; frangam; impediam; dissipabo; difflabo; labefactabo; discutiam; comprimam; irrita faciam; inania reddam). Quin etiam me totum tibi permittam (dedam). - Me et omnia mea in fidem (potestatem) tuam permittam (in arbitratu tuo relinquam) - Volam quod voles.

Quantum in me erit, nihil eorum erit quae a me voles, quod nolim (quod non libenter velim). - Nihil plane erit, quod tua causa nolim. - Faciam quod tibi libuerit (placuerit; quod iusseris; edixeris). - Ad tuum arbitrium me fingam.

- Certe velis, nolis (ut maxime nolis; vel invitus; vel ingratus; ut maxime obnitaris) ex hisce rerum adjunctis tibi exendum est.

- Curabo; at nonnunquam satis ex sententia eventus non procedit. - Spem saepe fortuna fallit (frustratur). - Spei et expectationi interdum exitus non respondet. - Quo intendimus (spectamus) non semper pervenimus. - Id quod volumus minus assequimur. - Metam votorum facile non attingimus.

- Incredibili me affectum sollicitudine sentio (angor intimis sensibus; compulsum me vidi in magnas angustias): patris enim (fratris, amici, etc.) offensionem incurri (in

offensionem cecidi; offensionem subii). - Magno casu defungor: patris studium (gratiam; benevolentiam) amisi (perdidii). - A patris gratia, qua fruebar antea, prorsus excidi. - Ex animo atque amore patris effluxi. - Non amplius pater in me bene animatus est. - Non amplius patri sum carus (gratiosus). - In patris gratia amplius non sum.

- Ob quam causam calamitatem hanc indignissimam subiisti (cepisti, hausisti)? - Quae fuit causa ut gravis haec calamitas (gravissimus hic casus) te affligerit (tibi evenerit)? - Unde grave hoc damnum accepisti (gravem hanc iacturam pertulisti; es passus)? - Unde est factum ut huic infelicitati (rei tam adversae) obnoxius fueris?

- Calamitatem hanc mihi ipse peperi (creavi). - Ipse ego in caput meum hoc infortunium arcessivi. - Calamitatem cudi ipse meam. - Sum huius, quam fero, miseriae ipse causa (infortunii fabricator; mali architectus et auctor; calamitatis artifex).

Titius me apud parentem in invidiam vocavit (a me patris voluntatem abalienavit). - Titius in me patris offensionem concitavit (suscitavit invidiam; odium commovit). - Titius mihi hanc perniciem intulit (hoc exitium creavit; hoc infortunium perperit; calamitatem hanc importavit). - Mihi exitio fuit. - Mihi infelix fuit.

Averte, quaeso ac detesteris hoc omen: fac ut pater me in gratiam recipiat (cum patre in gratiam redeam). - Benevolentiam patris mecum instaures (in me reducas).

- Immo in hoc animo libenti prolixoque operam meam conferam. - Id quidem non invitus (non moleste; non gravate; non invito animo) faciam. - Id profecto animo libentissimo (aequissimo; non repugnante; non coacto) curabo. - Non invita quidem Minerva agam.

Faxit Deus (Faxint Superi) ut te patri (cum patre) iterum conciliem! - Animum

patris tibi pro viribus reconciliabo (recoliligam). - Omnem dabo operam ut te in gratiam cum patre omnino reducam (ut cum patre in gratiam redeas; ut tibi voluntas parentis reconcilietur; ut tecum pater redeat in gratiam; ut te pater iterum accipiat in gratiam). - Rem ita quantum potero tractabo, ut patris animus, qui ante erat, studiosissimus tecum redeat.

Rationes ita apud patrem tuum geram, ut si quae falsa et iniqua criminatio (malevoli facti criminis offensio; commenticiae culpae maleficiosa obiectio) apud illum intercesserit, ea prorsus debelletur. - Hoc negotium ita apud patrem tuum curabo, ut Titii malevolentia, qua tibi crimen intentavit, detegatur. - Ut pater te fictis criminibus laesum (falsis criminibus infestatum) agnoscat, atque ideo statim in gratiam recipiat. - Te in calumniam struttam (affictam; textam; excogitatum) cedidisse intelligat teque nunquam ipsius amore et gratia indignum fuisse.

(Ad proximum numerum)

FORFEX.



PRO IUNIORIBUS

IUDITHA

(HISTORIA E SACRIS LITTERIS DEPROMPTA)¹

VI.

Erat eo tempore Bethuliae Iuditha, circiter annos triginta Merari patre nata, uxor quae fuerat Manassis, decora facie divitiisque praepollens. Sextum iam mensem supra tres annos mundo muliebri nuntium remiserat; dedita lanae inter lucrantes ancillas in solario morabatur; insuper parcissima victus cilicioque induita,

¹ Cfr. fasc. sup.

magnam diei partem, intentum precationi animum habebat. In matrona, quod caput est, fulgebat vitae morumque sanctimonia usque adeo, ut non modo nullam rerum suarum suspicionem preeberet civibus, sed etiam eximium innocentiae exemplum celebraretur. Eam ob caussam nullus ei tribuit superbiae quod ad civitatis prefectos miserit, qui verbis suis dicerent ne gravarentur ad eam, se domi tenentem, accedere.

Quos ut venisse vidi: « Scire velim - inquit - dant enim animum ad libere loquendum ultimae miseriae; scire velim cur vos urbem Holopherni tradere constitueritis, si Deus quinque dierum spatio nobis minime succurrerit. Quid ita? Misericordiam implorare, an potius iustum eius iracundiam contra vos accendere laboratis? Praestituis clementiae eius diem, quasi vero non possit nobis et post totidem dies opitulari? Sed sperare videor, si celeris poenitentia sequatur, Deum huius erroris, ut saepe alias, nullam adhibitum esse memoriam. Genibus nixi et lacrimabundi expectemus eum ut, quo tempore visum fuerit, de crudelissimo hoste sumat supplicium. Interea vos praepositi iubete populum bene sperare: avertite omnino a moerore animum: publicae privataeque res erunt incolumes ».

Haec atque alia vere ab Iuditha dicta praefecti civitatis animadverterunt, eamque simul precati sunt uti, qua plurimum apud Deum gratia valebat, eam pro communi salute ac libertate interponeret. Quibus mulier rursus: « Ut optime nostis, haec quae dixi divina eloquia sunt; magnum in animo est facinus; nemini tamen consilia credam. Id unum vobis etiam atque etiam suadeo ut, absente me, infimis precibus Dei auxilium imploretis et flagitetis. Obducta nocte, discedam hinc, una comite ancilla: vos ad portam adeste ».

His dimisis, ad obsecrationes obtestationesque bene multas animum convertit:

dein cubiculariae ad se arcessitae capitis cultum, quod ante non fecerat, impense commendavit: ipsa sibi, quibus Manasse demortuo, usa nunquam fuerat, optimas induit vestes: ornavit se torque, inauribus et armillis; quumque in capite mitram, in pedibus affabre elaborata gereret sandalia, mulier pulchritudine insignis, Deo venustatem addente, supra quam cuique credibile est, speciosissima in publicum prodiit, oculos omnium, quacumque incessisset, conversura. Quibus imperatum erat, statim tempore, in locum ab Iuditha datum convenerunt, eidemque successus prosperos ominati retro redierunt.

VII.

Iuditha, virtute vere mirabili, ad Holophernem interficiendum eiusque opes profligandas, sic ornata in castra hostium iter intendit. Excubitores quum, illucescente vix die, eam ad se ferentem procul conspexissent, processere percontatum qua mortalis esset, unde, qua causa, quidque quaerens illuc perfugeret.

His illa: « Iuditha sum filia Hebraeorum: Bethuliam ferro flammisque vastandam salutis cupida reliqui: ut mihi apud vos tuto versari liceat oro quaeroque. Me, me ad imperatorem deducite, eique ostendam qua via, sine ullo detimento exercitus, oppido potiatur ».

Tanta simul admiratio miseratioque feminae incessit animo, ut, collaudato consilio, officii, magis quam alterius rei causa, eam ad Holophernem vadentem prosequerentur. Cui quum nuntiatum esset matronam, forma elegantissima, colloquium eius petere, statim admitti iussit.

Ut primum in conspectu fuit, ante imperatoris pedes venerabunda procubuit. Satellites, qui circa erant, miris modis eam laudare, stupentesque animis inter se dicere: « Peribimus potius, quam igni corrumpamus urbem talium feminarum procreaticem ».

Itaque quum Holophernes mulierem benevole humo attolli imperasset:

« Si meum, — inquit, — mavis adorare Regem, tibi non noceo; nihil est cur de capite tuo pertimescas; ego cedentes non violo. Ni civibus tuis fuissest ludibrio, tantam hodie in his campis multitudinem armatorum non videres. Sed edisse mihi qua de causa huc demigraveris ».

Huic illa: « Ad animum admitte quae dicam, tibique res tuae egregie placebunt. Primum vero omnium salutare mihi liceat Nabuchodonosor Regem potentissimum, cui non homines modo, sed et animantia, opera tua, obediunt. Te unum eximia bonitate praeditum, maximique consilii hominem in rebus gerendis mortales praedicant. Quae nobis Achior praesagiens animo denuntiarit, nemini non est apertum. Tamen cives mei, reminiscentes quot quantisque Deum iniuriis affecerint, tuam iure potentiam extimescunt: iamque aerumnis deformati eo devenerunt, ut armenta occidere destinarent sanguinem poturi: simuli que ceperint consilium rebus Deo sacris famem exsaturare. Mihi enim vero est persuasum, eos, si nulla alia re, hoc certe sacrilego scelere obstrictos, Deo gravissimas poenas esse persoluturos. Ibi quod non possem diutius secura manere, afflita et prope exanimata ad te confugi tuam exposcens misericordiam. Tu, quaequo, placatus hanc mihi da veniam, ut silentio noctis pedem castris efferam, divini numinis adorandi gratia: si feceris, Hierosolymam, ubi tempus monuerit, ipsa te abducam, erunque te circum Hebrei sicut oves, quibus nullus pavor incessat, ac nemo unus in te ibi tollet latratus. Quae liberaliter polliceor, sine dubio a Deo aucta et adiuta ad effectum perducam ».

Holophernes, callidissimae mulieris verbis captus: « Pro certo puto, — inquit, — te mihi verba non dedisse: quin immo si omnia prospere procedent, ipse ego talis tantique Dei cultum amplectar; tu honorata

et potens primum amicitiae locum apud meum Regem tenebis ».

VIII.

Hoc loco interponere libet, in bello posse artibus circumveniri hostem. Quare minime est mirandum si sanctissima femina, omni declinato mendacio, ita barbaro ambigua oratione illuserit, ut quum adversissima ei praenuntiabat, ipse sibi triumphales pompas promitteret.

Qui Iuditham collocari iussit in conclave, quo thesauri asservabantur, eique de mensa quotidie mitti imperavit. At illa reiecit dicens, tali cibo non posse se uti: hoc praeceptum diligenter esse curandum maxime in praesentiis, quippe cui ad rem e sententia peragendam divino esset opus auxilio: tulisse secum quae erant ad vitam necessaria. Quum nihilosecius Holophernes exsequeretur quaerendo quid consilii caperet tum, quando longinquo tempore bellum duceretur et commeatus deesset: « Satis, — inquit, — superque mihi erunt quae deportavi; celerius opinione fidem tibi meam exsolvam. Id unum a te precibus omnibus iterum peto, ut mihi potestatem facias nocturno tempore castris egredi. Postquam sanctissimis patriae meae institutis parens Deum adoravero, huc sub lucis ortum revertar ». Tyrannus dementissimae temeritatis plenus, praecepit satellitibus ut Iudithae, in triduum, quodcumque vellet facere permitterent. Quarta luce misit ad eam qui nuntiaret, consilium esse ut cum ducibus et ipsa apud imperatorem convivaretur: quamobrem venire ne dubitaret, et cuius benevolentiam consequuta esset, ei se tractabilem praeberet. Intellexit matrona quo spectaret eiusmodi invitatus; benigne tamen pro tempore respondit, ipsam se ad hominis voluntatem conformaturam, a quo honeste dissentire non posset; atque ad eum ornatissima accessit.

(Ad proximum numerum).

F. MILLOZZIUS.

ANNALES

Silesiana quaestio.

Contentio inter Germanos atque Polinos de Silesiae superioris possessione amplificata ita est in dies, ut ad Europaeum profecto discrimen pervenisse videretur. Inde praesertim factum est ut Supremum Foederatorum Consilium Lutetiae Parisiorum iterum congregaretur, quamvis obstarent Galli, qui novas copias in Silesiam mittere volebant et ex peritorum virorum sententia alteri vel alteri populo singulas provincias addicere. Sed ne in Supremo Consilio quidem controversia composita fuit, quae, Italorum legatis suadentibus, ad Societatis Nationum arbitrium demandata est. Dummodo ne dum Romae consultur Saguntum expugnetur!

**

Bellum inter Graecos atque Turcas in Anatolia.

Foederatorum idem Supremum Consilium, quum in examen revocasset dissidium inter Graecos Turcasque, per quod in Anatolia sanguis novus effunditur, statuit, nunc saltem, neutrius partis studium esse per se habendum. Interim igitur iis licet armis libere contendere!... Etenim hoc sibi propositum fecere Graeci: a Brussa recentes, inde atque ex Ushak simul operari, ut a septem trionibus, ab occidente atque a meridie vim in Kemalistas hostes inferrent Kutahiae coactos; qui locus hinc Esckisheir, inde Afion Karahissar tueretur, unde ferrivia ad Angoram pertransit. Turcae vero, angustias effugere valuerunt, copiarumque maximam partem ad orientem traiicere, indeque, ex editis collibus, Graecorum progressum prohibere.

Hic, inter victoriarum nuncium, ab utraque parte quotidie diffusum, rerum status hodie esse videtur.

**

In Mauritana regione.

Sed alibi quoque belli furor manavit. In Mauritania enim, Kibili illi incolae ferocissimi, seditione in Hispanos mota, qui illius regionis procurationem habent, munimenta Melillae urbis ex improviso, decem millium hominum numero, aggressi sunt, magnamque cladem Hispanis agminibus intulere. Quamquam Navarro dux cum suis copiis ab Arruit procedens in auxilium venire obsessionisque circuitum effringere valuit, in Hispania tamen ab hoc eventu tantum animi, nec iniuria, in gubernium inflammati sunt, ut administrorum collegium a munere sese abdicare coactum fuerit. Novo, quod est sufficuum, praesidet Maura.

**

Italicae res.

In Italia quoque novum administratorum consilium habemus, cui homo novus praest, Ivanoe Bonomi, qui imperii summam suscipiens legis imperium sese restituere omnino velle protestatus est, contra factiones illas, quae non semel altera in alteram armis concurrere cooperant.

Interim unanimi plausus consensu Itali omnes exceperunt Hiro-Hito principem, Iaponici regni heredem, qui Italianam proximis his diebus peragravit. Quum Romanam venit, Summum Christianorum Pontificem Benedictum XV reverenter inviser haud omisit.

Idibus Augustis MCMXXI.

POPLICOLA.

Res omnium difficillima, tacere et audire.

GELLIUS, Lib. I.

ROMA SACRA

De septingentesimo anno celebrando ex quo S. Dominicus, Ordinis Praedicatorum Parens, vita migravit.

Die appetente ex quo, abhinc annis septingentis, Dominicus Guzmanus ad sedes beatorum excessit, Benedictus PP. XV epistolam edidit encyclicam ut christianum populum ad memoriam viri sanctissimi celebrandam hortaretur.

Et sane, « ut is plane homo Dei verissimeque Dominicus, sic totus Ecclesiae sanctae fuit, quae invictissimum fidei propugnatorem ipsum habet: qui autem ab eo conditus est Ordo Praedicatorum, paeclarum semper Romanae Ecclesiae praesidium exstitit ».

Atqui quantum Dominicus, – qui Christi praeceptum imprimis sequutus: *Docete omnes gentes, Praedicate Evangelium omni creaturae*, id sibi suisque proposuit, *tradere aliis contemplata*, philosophiae ac theologiae multa data opera, diuque in sanctorum Patrum studio versatus, quantum in rerum divinarum scientia valeret maxime, perspici licuit « iu eius disputationibus adversus haereticos; quos quidem ad oppugnanda Fidei dogmata omnibus artibus et fallacis armatos, tamen mirabili erat quam strenue convinceret ac refutaret. Idque Tolosae maxime apparuit, in urbe scilicet quae tum princeps et caput haeresum habebatur, quo doctissimus quisque adversariorum convenerat. Memoriae proditum est, ipsum cum primis sodalibus, opere atque sermone potentibus, insolentiae haereticorum invictum restitisse: quin eorum non solum cohibuisse vim, sed animos etiam eloquentia et caritate sic mitigasse, ut ingenitum numerum in sinum Ecclesiae revocaret. Cui, pro Fide dimicanti, Deus ipse presentissimus aderat; ut quum, accepta, quam haeretici dederant, condicione, ut suum quisque librum igni traderet, combustis ceteris, unus ipsius liber intactus a flamma inviola-

tusque permansit. Ita, Dominici virtute, Europa Albigensium haeresis periculo liberata est ».

Hac autem solidae doctrinae laude ipsos filios suos ornatos esse iussit. « Itaque dominicanum institutum iam inde ab initio tamquam insignitam doctrinae notam praesetulit: eiusque hoc velut proprium opus munusque semper fuit, variis errorum malis mederi et christiana fidei lumen diffundere, quandoquidem nihil tam obstat sempernae saluti quam veritatis ignoratio opinionumque peruersitas. Non mirum est igitur, si omnium oculos animosque ad se convertit huius novavis apostolatus, quae quum Evangelio doctrinisque Patrum niteretur, tum cognitionum omnis generis copia commendabatur.

« Atque ipsa quidem Dei sapientia per dominicanos sodales loqui visa est, quum in eis magni illi christiana sapientiae praecones et defensores eminebant, Hyacinthus Polonus, Petrus Martyr, Vincentius Ferrerius, item homines ingenii praestantes disciplinisque optimis eruditissimi, ut Albertus Magnus, ut Raymundus de Peñafort, ut Thomas Aquinas, quo maxime Dominici alumno vere Deus Ecclesiam suam illuminare dignatus est. Quare hic Ordo quum permagni semper sit habitus ob magisterium veritatis, tum vero egregiam laudem adeptus est, quum Thome doctrinam Ecclesia suam propriam edixit esse, eumdemque Doctorem, singularibus Pontificum praeconiis honestatum, magistrum scholis catholicis dedit et patronum.

« Cum hoc autem tanto studio retinendae tuendaque Fidei sumnum in Dominico cohaerebat obsequium erga Apostolicam Sedem. Sic enim accepimus provolutum ad pedes Innocentii III, eum se defensioni Romani Pontificatus devovisse, eidemque decessori Nostro, postera nocte, in somnis visum esse inclinatam Basilicae Lateranensis molem suis humeris animosum sustinere. – Illud etiam, historia teste, scimus, quum primos disciplinae suae alumnos ad christianam perfectiōnem informaret, cogitasse Dominicum de col-

ligenda ex piis religiosisque laicis quadam sacra militia, quae simul Ecclesiae iura defenderet, simul haeresibus fortiter repugnaret. Hinc ille profectus est dominicanorum Ordo Tertius, qui quidem, perfectioris vitae institutum in saecularibus vulgando, permagna paraturus erat Ecclesiae matri et ornamenta et praesidia ».


Tradita autem a legifero Patre, venit ad filios tantae cum Apostolica Sede coniunctionis hereditas. « Quotiescumque igitur ob infectas erroribus mentes hominum factuī est, ut vel populorum motibus vel principum iniuriis laboraret Ecclesia, habuit Apostolica Sedes in dominicanis sodalibus, qui, patrocinium et veritatis et iustitiae suscipientes, opportunō sibi adiumento essent ad suae conservandum splendorem auctoritatis. Nam quis ignorat quam se praecclare gesserit in hoc genere dominicana illa virgo, Catharina Senensis, quae, urgente caritate Iesu Christi, difficultates incredibiles eluctata, Summo Pontifici persuasit – quod nemo alias potuerat – ut ad suam Romanam Sedem, LXX annorum intervallo, reverteretur; quaeque deinde, quum Occidentalis Ecclesia diro schismate lacrabatur, magnum christifidelium numerum in fide et obsequio legitimi Pontificis retinuit?

« Atque, ut cetera omittamus, non est praetereundum ex dominicanis sodalibus Pontifices Romanos magni nominis exstissem quatuor; quorum postremus, sanctus Pius V, immortaliter de re cristiana civilique meritus est; qui quum, magna instantia atque hortatu, catholicorum principum arma sibi societate adiunxisset, apud Echinadas insulas, Turcarum opes in perpetuum profligavit, auspice atque adiutrice Virgine Deipara, quam propterea *Auxilium Christianorum* deinceps salutari iussit ».

In quo luculenter insigne aliud in praedicatione dominicanorum ostenditur: pietas erga magnam Dei Matrem studiosissima. « Naupactensem enim victoriam divinitus cognovisse Pontifex perhibetur eo temporis articulo fieri, dum per orbem catholicum piorum so-

dalitates Mariam sanctissimi Rosarii implorabant formulâ, quam ipse Praedicatorum Parens invenerat, per suosque alumnos deinceps longe lateque propagandam curaverat ». Etenim Virginem beatissimam quum matris loco diligeret, eius maxime patrocinio confisus, dominicus ad Fidei causam agendum aggressus est: Eaque servi pientissimi ministerio usa est, ut sanctissimum Rosarium Ecclesiam edoceret; « illam precationem scilicet quae cum simul voce et mente fiat - mysteriis religionis potissimis contemplandis, dum oratio dominica quindecies totidemque decades salutationum Mariae iterantur - accommodatissima est ad pietatem omnemque virtutem vulgo alendam et extinctandam. Iure igitur suis alumnis praecepit dominicus ut, Dei verbum populis tradentes, in hac orandi forma audientium animis inculcanda saepe studioseque versarentur, cuius exploratissimam haberet utilitatem ».

Encyclica epistola, data in festo Apostolorum Principum huius anni MCMXXI, quam nos ob spatii angustias intra summorum capitum fines perstringere coacti sumus, concluditur dominicani instituti non minorem enucleans hoc tempore quam ipsius Auctoris aetate opportunitatem, et campum paene immensum in quo utilissime pro communi salute et ad animarum bonum ipsum contendat.



VACUI TEMPORIS HORA

Nemo est qui hisce diebus **aestus calores** non exsecretur, qui singulares produldubio hoc anno fuere. Atque tamen amicam inveni a communi querela imminem.

- Undenam hoc? ab eo quae sive.

- Simplex profecto causa - respondit -. Quia in hac vita illusionibus vivendum est, ipse mihi et de hac re illudere conor. Dumque alii ad mare, ad thermales statio-

nes, montes agrosque vitandi aestus gratia configunt, - quonam exitu Superi tantum sciunt - ego in paupertate vitae ac domunculae meae manens mihi mare, salutares aquas, montes, agrosque fingo, felixque vivo aestumque vinco. Ecquid dubitas? Noctu, dormiens, animo menteque concipio in navi esse et ad remotum litus tendere. Obviam mihi fit piscis, quem canem vulgo appellant? Domi herum cogito. Balaena? Socrus mea statim menti succurrit... Mane ad oram descendo, meque in mari mergo; scilicet in coquinam descendeo, ubi gelida aqua tubo illuc usque adducta me amplissime abluit. Deinde munus meum in municipum ministerio oboeo: paullisper nempe conquiesco. Ientaculum in pleno cuiusvis solarii - collis mihi - aere absumo: felis prope maumat? allii serta a muro pendent? Suavis lusciniae cantus speciem in animo informo et olentium rosarum aut glicinis effluvii... Neque inter domesticas parietes proximi montis visus deest: dummodo oculos convertam in scidarum acervum montis quem a pietate appellant, estque, ut inter omnes constat, locus ubi pignore dato pecunia accipitur. Ah! si in scidis illis diem ad solvendum dictam praeterlapsam reperio, mihi crede, frigesco aedepol! - Quid de cursu dicam, vitae tam salutari? Quum creditori cuidam occurro, tam velocem cursum arripio, ut videar Aeolus, nedum eius filius quilibet. Si autem macrescere volo, currum electride actum omnibus per vium ingredior: quum exeo, facile allevatum me sentio... saltem crumena. Pro gymnicis ludis: lucta, calx, colaphi et similia... domesticae lites sufficient.

Haec, inquam, amicus meus, qui philosophi nomine gloriatur. Ecquid vobis?

**

Interim ad Bernerium meum accedo, neque cum ipso ab aestivo labente hodie tempore longe; **venationem** enim hodie

nobilis illam offert, quam pueri exercent adhuc arundinibus visco tectis et noctua:

Una voluptati, atque oculis venatio tantum
Fit iucunda meis; hanc mea Musa canit.

En pueri properant extra urbis moenia; si
[stunt

Lata ubi non densa fronde virescit humus.
Area, quae circum est, solet esse impervia:

[saepem

Contexunt dum: frondibus illa caret.

Sunt virgae visco tectae, quas vestit arundo:

Harum apicem ex corio lamina parva secat.
Exutae vertuntur, arundinis inde foramen

Virgae intrant, donec fit corium impediens.
Multiplices pueri disponunt undique dumis

Quaelibet infixa est, rectaque prospicitur.
Longior est baculus, cui ferrum format acu-

[men,

Crassitiem ast alia ex parte rotundus habet.
Cernitur haec panno circum undique tecta

[rubenti:

Fixus humi est baculus, noctua statque

[supra.

Auro oculi rutilant, rostrum curvatur adun-

[cum:

E baculo in terram haec evolat, inde redit.
Labra super digitum extendunt, missoque

[fragore

Sibilum avis pueri tunc simulare student.
Accedunt volucrum reges, volitantque fre-

[quentes

Hae, quibus in plumis pectora parva rubent.
Noctua iam ludit, caput effert, deprimit, inde
Alternat motus, nec datur ulla quies.

Sibili at interea volucris decepta vocantis,
De trunco in ramum, saepe volando, salit.

Nunc fugit, inde redit, tunc ex venantibus

[alter

Submissae socio, murmure vocis, ait.
En volat in virgam, exulta, iam proxima vi-

[sco est;

Cerne, parum volucris distat, et ecce venit.
Nunc monet ast puerum venator nutibus alter:

Inde secans digito labra, silere iubet.

Intenti, immoti ad cursum quin ambo parati

Exspectant volucrem, quam procul ire ti-

[ment.

Denique in expositam virgam dum pervolat

[alas

Involvit visco, captaque sistit avis.

Tunc laetus clamans, pedibusque celerrimus,
[unus

E sociis cursum, fulminis instar, agit.
Arripit hic praedam, dextra prius, inde sinistra

E visco plumas liberat et volucrem.

Ostendit socio iucundus in ore, duobus

Inde caput digitis calcat, aevumque necat.

Venandi morem legemque sequuntur, in ur-

[bem

Donec clausa dies, noctis et umbra vocent.

Venantur pueri; at nos plura docemur. Averni

Venator nobis sic parat insidias.

Corda voluptatum nam sibili hic allicit, inde

Foemina nos trahit: haec noctuae ad in-

[star erit.

Ludit et illudit: scelerum sed denique visco

Haerentes, Erebi sordida praeda sumus.

**

Iocosa.

Tuccius ruri, cum puero amico:

- Quid ab echo petisti?

- Interrogavi: « An pluet? ». Ille re-spondit quidem mihi: « Pluet »; verum quandonam id fiet minime indicavit.

Idem, diaria legens:

- Absurdum quidem: diaria illustrium virorum mortem semper nunciant; nunquam vero quum ii in vitam ingrediuntur!

**

Aenigmata

I (vulgo *Rebus*).

SOLE N ovum

II.

Ultima si capiti quae vocem littera compleat
Additur, exempli bestia parva liquet.

Totum saepe solet tantum circumdare finem,
Callida ne carpat pendula poma manus.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-
posita his respondent: 1) *Cor-nix*: 2) *Ro-
bur - Rubor*.

IOSFOR.

LEO IV

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA.

CONST. At quoniam possum te melius cernere,
Homo, te noverim, transacto tempore.
Tu procul dubio diceris Publius?
Novi tuum patrem, diu stipendia
Sub ipso merui, iuvenis cum crescerem.

PUBL. Tu? Quando?

CONST. Vixi sub patre et quin-
[quennium.

Erat pater tuus strenuus maxime,
Totus sed deditus sancto Pontifici.
Quo facto, ausculta, lauda confidentiam.
Profecti nuper sumus nos ab Africa
Ut inter tuos scribeberemur milites,
Qui pugnant alacres nunc pro Pontifice.

MILES. Nos ultra iugum ferre iam non pos-
[sumus,

Istoc infandum Barbarorum pessimum;
Ut sic Afrorum violentiam frangeret
Exilium potius servitio ponimus.

MILES III. Quid est Leoni quam servire dulcissimi?

MILES II. Habebit ipse milites fidissimos.

MILES. Ad hoc venimus nos libenter exsules...

CONST. Romae sed cives exsules non amplius.

Omnes pro sancto nos parente perpeti
Sumus parati mortem vel durissimam ...

PUBL. Vestram libenter voluntatem intelligo,
Et ipse habebit brevi vos in suis...

Vos sed commodius colloquar denuo.
Leonis ante spiritus resumitur,

Virtus et prisca Romanorum nascitur,
Eosque a barbaris defendet ictibus.

CONST. Enim fuerunt Arabes hostissimi,
Et nobis fidis Romanorum sociis.

PUBL. Adest Leonis vigor et constantia,
Cuncta praestabit late qui tutissima
Nimis vobiscum longe sed cunctatio.
Manent adhuc Romae multa negotia.

Valete!¹

CONST. Vale!

MILES. Quamdiu nos tenuit!

At ipse sperat ... pugnatos admodum!

MILES II. Erat mihi cupido mactandi gladio.

CONST. Malum fecisses!

MILES III. Illi quidni melius
Potum dedisses inter aquam fluminis?

CONST. Hoc esset omnium malum, malissi-
[mum.

Nunc nobis opus maxima prudentia.
Sed ipse in foveam incidit bellissime;

Ad hamum piscis decucurrit inscius.

Nos Afri semper Arabes vaferrimi!

Nunc est eundum clam et formicino
[gradu,

Ne quis nos noverit ... trudat in custo-
[diam...

MILES. In malam ducat crucem nos in poste-
[rum!

CONST. Prius sed inter ego romanos milites

Virus discordiae venenum semino,

Ut ipsi milites fessi militiae

Domos efflagitent parentes cernere,

Et nos in castris linquant late principes.
Interni sumus spectatores, advenae.

MILES. Sumus Romani qui profecti ab Ostia!

MILES II. Ero sed omnibus proxime ostiarius
Amicis Romam per venturis postmodum.

CONST. Per Urbem vafri dilabemur simplices.

MILES. Mali sed hostes usque pravo ingenio.

CONST. Quid sit faciendum videbimus postea.

Equus fuit Troiae gravi formidini,

Ferunt aniles deridenda fabulae;

Romae nos terror et pernicies proxima;

Ab ipso Tybride profecti flumine;

Narrabit posteris verax historia.

(Ad proximum numerum).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

¹ Exit.